# DISSERTATIO MEDICA /5

## INAUGURALIS,

### DE

# NEURALGIA.

*AUCTORE H. G. PARKEN.*

PERBEATUS ille, qui sibi hujusmodi dissertationem scripturo polliceri vel quidem tuto sperare potest, uti, operâ suâ,

"forsan miseris meliora sequentur."

Ei neque labor ineptus est nec inane praemium imo omni aliâ mercede animo benevolo facile charius. Me, fateor, in hoc incoepto non tanta spes erigit, contentum dummodò quum postea crudelis iste, quem e tetro morborum numero selegi, auxilium a me poscat, saltem optima quaeque de eo

observata et memorata non ignorem, ut ita fortè dolorem atrocissimum, quo Neuralgia ferè omnibus male præest, levare vel removere queam. Itaque quaerat alio theoreticus somnia pulchra quibus ille gaudet: quaerat aliò physiologus, cui triplex circa cor aes, experimenta sanguine et letho pollutà. Benigniorum hic morbus potissimum interest et ab his gratiam rogo dum de historiâ ejus, quoad fieri potest, accuratè, de natura plenius, de remediis summatim loquar.

Conveniunt plerique hodie medici, Neuralgiam morbum novi generis esse et veteribus omninò ignotum. At omnibus tamen de morbis, qui novi habentur, interrogandum est, utrum revera nuper exorti, an cum aliis alio sub nomine commixti fuerint, quòd antiquis deessent accuratiora morbi discrimina, quibus nosologia diligentissimè digesta, medicinam his temporibus ditavit. Sed mihi verisimilius videtur, veteres summam in morbis intuendis curam, colligendis

laborem, depingendis fidem adhibere assuetos, si quando Neuralgiae notae tam facile distinctae ante oculos versatae fuissent, inter aliorum disertas et mirè elaboratas hujus descriptionem alicubi reliquisse. Igitur merito qui primi clarè de hoc morbo, disseruerunt, thesauros priscae medicinae perstudiose exquisiverunt, laudabili curiositate impulsi, si forte loca sperata invenire possent. Nec, ut ipsi crediderunt, frustrà. Praecipui auctores qui Neuralgiae historiam, indagaverunt, duo sunt, scilicet Andre et Pujol, ambo medici Galli. Hi nihil in Hippocratis vel principum, qui brevi post artis nostrae patrem floruerunt operibus, huic morbo proximum reperiebant; verùm in Coelii Aureliani, et Avicennæ, non tantùm in descriptiones eum quasi adumbrantes, sed etiam in morbum ipsum sese incidisse putabant. Hic de *torturâ faciei*, ille sub nomine rapti canini de morbo loquitur, quem Graeci κυνικον σπασμον vocant, atque inter hos et Neuralgiam indicia valdè similia et fere eadem esse dicuntur. Hanc rem non ita esse, cum ad Neuralgiae

definitionem et signorum ejus rationem venio, pleniùs constabit. Ecce interim verba ipsa horum locorum et, nisi fallor, haec per se satis erunt lites componere, manifestum facientia morbos infra memoratos *convulsivo* vel *paralytico* generi pertinere.

"In ista passione, (ait AURELIANUS) con-
"stitutos sequitur conclusio sive contractio
"repentino motu veniens, ac recedens, sine
"ullâ corporis turbatione, in utriusque labii
"ultimo fine, sive oris angulo, quem Graeci
"καλινον vocant, ut etiam buccas adducat in
"posteriorem partem crebrissimè tanquam
"ridentibus nunc palpebras, vel supercilia
"ac nares, ut etiam colla atque humeros ra-
"piat, et ita patienter, faciat commoveri,
"tanquam, onus humeris baiulantes trans-
"ferendi ponderis causa." AVICENNÆ verba sunt: "Ipsa (i. e. tortura faciei) est mor-
"bus officialis in facie, propter quam trahi-
"tur pars faciei ad partem non naturalem,
"et alteratur forma ejus naturalis, et remo-
"vetur bonitas obviationis utrorumque la-

"biorum et ambarum palpebrarum ex parte. "Et ejus quidem causa est, aut mollificatio "aut spasmus lacertorum, palpebrarum et "faciei."

Hic facilè observari potest, AURELIANUM nullam facere mentionem de dolore saevo et sui generis, qui hujus morbi triste est et peculiare indicium, quinetiam Arabum quanquam in capite insequente *de signis* dolores tanquam torturae faciei comites describit, ad ossa tamen referuntur, dum Neuralgiae dolor partes cuti subjacentes potius corripit et affligit. Verum, his omissis, a descriptione generali in locis citatis comprehensa, non dubitandum est, quin et raptus caninus et tortura (i. e. distortio) faciei, morbi alius alio admodum propinqui, inter spasmodicos ritè recenseri debeant.

Primae hujus morbi notitiae in exemplorum unicorum narrationibus, per varia medicinae *annalia* huc illuc sparsae inveniendae sunt. Forsitan prima omnium hujus-

modi observatio tomo in primo *actorum societatis naturae curiosorum* continetur, autore DEGENER, natu Belgico, in dissertatione "De dolore quaedam perraro acerboque "maxillae sinistrae partes occupante et per "paroxysmos recurrente," A. D. 1665. In 1673 iterum breviter tractatus erat a celeberrimo LUDWIG qui ei titulum dedit "*Dolor superciliaris acerbissimus.*" Anno fere centesimo elapso, post silentium insigne et inexplicatum, ANDRE de quo jam dixi, plures in hunc morbum animadversiones edidit, in libro inscripto "*Observations pratiques* "*sur les maladies de l'Uréthre et sur les plusieurs faits convulsifs.*" Hic primum Neuralgia "Tic Doloureux" quo nomine tamdiu nota fecit, nuncupatur, ut ab alio longè diverso quem Galli vocant, "Tic Convulsif" facilius distingueretur. Ex eodem libro SAUVAGESIUS quodcunque de hoc morbo scivit, ex confesso deduxit, quem in Nosologia sua "Trismus Dolorificus" vocat. Haec edita est in 1763 quo tempore, notatu dignum, tam rarum fuisse videri, ut confiteatur SAU-

VAGESIUS, se, tametsi senem, neminem hoc morbo laborantem eatenus usquam vidisse.

Nihilominus, in 1768 cum quaestio medico-chirurgica, huc spectans, in Academiâ *Parisiis* proposita fuit: "Utrum in pertinacibus capitis, facieique doloribus, aliquid prodesse possit, sectio nervorum quinti Paris," discimus a thesi, cui palma decernebatur, plura exempla *Parisiis*, nuperius observata fuisse. Utcunque haec sint, nostro FOTHERGILLIO reservanda est laus accuratiorem hujus mali descriptionem praebendi in disputatione suâ inaugurali quae data est anno 1776, quô notas ejus proprias, singulares, acerbas brevi quidem sed feliciter depinxit. Postea, non tantum exempla solitaria frequentius hic peregreque memorabantur, sed etiam de morbi causa et naturâ multi haud inepte disserebant. Visum est, e pluribus scriptoribus qui de hac re disceptaverunt, praecipuos seligere et eorum nomina in extremâ paginâ suppone-

re*; de unico tantum opere hic mentione facta, scilicet *Thouretii*, "Essai sur l'affection "particuliere de la Face," quo, nulla meliora sunt vel digniora studiose perlectu. Tot auctores, ut ex facili putetur, multa diversaque nomina huic morbo dederunt, quorum omnia vel certe plurima, quo tam manifeste discernitur, dolorem atrocissimum indicant. Hodie tamen "Neuralgia" fere semper a me-

---

* Observations et Recherches sur l'Usage de l'Aimant, par M. THOURET. Memoires de la Societe Royale de Medicine, 1799. Essai sur la Maladie de la Face, par M. PUJOL. Memoires de la Societé Royale de Medicine, 1782-3. Traité Complet d'Anatomie, SABATIERE, Vol. III. Journal de Medicine 1778, Memoire par M. BONNARD. Traités des Maladies des Yeux, par Mr GUERIN. Memoires de l'Academie de Flessingue. Memoire par VAN-WY. HAIGHTON in the Medical Records, &c. Essai sur la Regeneration des Nerfs, par Profess. MEYER. Medical and Physical Journal, Vol. XIII. Dublin Medical Essays, Vol. II. Edinburgh Medical and Physical Journal. Medical Observations and Enquiries. PARRY's Pathology. Concise and Systematic Account, Dr FOTHERGILL.

dicis vocatur et quoniam tantulum de natura ejus causisque novimus, fortasse non alienum est pro nomine praecipuum adhibere signum.

Hunc morbum ita definire, ut mihi definitio placeat, nequaquam facile est, nec possum priùs istam proponere, quae mihi videatur dignoscentia optime complecti, quam de naturâ ejus propria et variis de ea contrariisque sententiis pauca praedixerim. Quae est igitur natura Neuralgiae? An in nervis ipsis vel in quâdam aliâ parte, veluti, in musculis vel demum in ipso cerebro sedem habet? Quodsi in nervis, telamne quae exigua nervi cujusque fila connectit, vel neurilema, vel materiam ipsam medullariam occupat? An e functionè solummodo impedita constat, vel structurae nervosae vera mutatione? An ad habitum totius corporis aut locum, pertinet? De singulis his breviter loqui necesse est antequam ad definitionem vel ad ipsum morbum venire licet. Evidens est a loco quem

in Nosologiâ suâ SAUVAGESIUS assignavit necnon a nomine quod ei imposuit (sc. trismus dolorificus) ut, se judice, spasticus esset et generi tetanico maximè affinis. Multae sunt et manifestae et faciles causae quapropter huic sententiae assentire non possum.

Imprimis, spasmum, adeo necessarium morbis tetanici generis ut ferme genus ipsum constituat, in Neuralgiâ nonnisi adventitium existimare debemus. Praeterea in initio et praesertim in levioribus hujus paroxysmis, musculae nullae vel certe levissimae eveniunt contractiones, atque etiam in gravioribus hae dolorem plerumque sequuntur; in illis vero contractiones dolorem praegrediuntur, quarum simul ad vim maxima ex parte respondet. Quinetiam in Neuralgia spasmus doloris effectus esse videtur, simillimusque iis brevibus et vivis convulsivisque vellicationibus quae fibras detruncatas brevi post amputationem vexant, et quarum planè causa est irritatio

a nervis sectis exoriens. Contra, tetani dolor ab ipsis contractionibus pendet, utpote quae forsitan nervos dolentes inter musculorum fasciculos quasi mechanicè comprimunt et collidunt. Siquidem inter se eòusque conveniunt, contractiones in utrisque esse involuntarias neque unquam sub animi imperio; quamobrem DARWINIUS in errorem incidit, qui dicat aegrum musculos faciei de proposito et sponte movere, ad acerrimi doloris, quasi aliò vi nervosâ, his motibus distracta, sensum, si possit, minuendum. Denique, si opus sit pluribus inter hos morbos discriminibus tetani e Neuralgiae dolore non tantum gradu sed genere quam maximè dissidet; in hoc enim dolor est penetrans, irradians, lancinans neque dissimilis cancri cruciatibus; in illo potius sensus ille peculiaris fere omnibus quodammodò notus, qui Anglicè *cramp* vocari solet. Haec satis indicare possunt, quam praecipitem de hoc morbo sententiam, SAUVAGESIUS amplexus est et quantum erravit non minus loco quam nomine ejus. Nequeo satis mirari, in

libro eximio eruditoque de Nosologiâ nuper edito, autore Mason Good, in eundem fere errorem cum Sauvagesio incidisse videri, nam tametsi sub eodem nomine Neuralgiam, veluti genus distinctum, in classis *Neuroticae*, ordine *Cinetica* locaverit et de eâ locutus fuerit, ut si motus convulsivus erat indicium ejus primum et praecipium et tanquam morbi essentia vera, tamen ex brevi sua definitione deducendum est, se dolorem respicere motuum horum tantummodo esse comitem. Supra dixi, quamobrem huic opinioni dissentiri cogor. Hic quoque non alienum sit rursus mirari, Cullenium virum emeritò praeclarum, nusquam vel in nosologiâ vel in reliquis ejus operibus, hujus morbi mentionem fecisse. Dum hi, quos jam memoravi, Neuralgiam musculospotius occupare putant, Armstrong, eximius ille medicus, cerebri morbum phlogisticum esse credit, sed quare, latet. In modesta simul conjecturae forma hanc sententiam propositam esse celari non debet. Remedia *Antiphlogistica* laudat, quippe quae in casibus recentibus valde pro-

sunt, imo morbum sanant. Fateor tamen ego nulla eorum signorum adesse, quae cerebri inflammationem aut etiam impetum sanguinis auctum cerebrum versus denotant. Porro, remedia laudata perraro, ut mox ostendam, morbo opitulantur. Itaque nec musculos neque cerebrum Neuralgia tenet sed nervos ipsos. Huc, medici fere omnes hodie concedunt. Hoc concesso, iterum quaeratur num telam cellulosam, vel neurilema vel substantiam nervorum medullariam? Nemo, ut in telâ sit cellulari, quoad ego didici, suspicatus est. At plures tamen sunt, qui cum Denmarkio sustinuerunt, tunicam Neurilema vocatam, quae nervos singulos involvit, in hoc morbo inflammari atque ex Neurilematis inflammatione omnia ejus *symptomata* crudelia oriri.

Hanc tunicam jamdudum Ryles et nuperius celeberrimus Bichat ita articulatim distincteque descripserunt, ut nemo qui vult oculis uti suis, negare vel nescire queat. Quapropter autem nobis credendum est Neu-

ralgiam nihil aliud esse quam hujus tunicae inflammationem sane haud scire me ultrò confiteor. Spe morbum sanandi, non raro portio nervi quo dolor atrocissimus fuit, excisa est, sed nullas cujuscunque mutationis notas nedum inflammationis, in his portionibus invenimus; nervus excisus absolutè sanus esse videtur. Hac in urbe hujusmodi recens evenit casus. Æger, qui in Nosocomio Regali Edinensi diu frustra curatus fuerat, inde, spe omni abjecta, tandem egressus in manus chirurgi LIZARS forte cecidit. Is, nervi portionem ferro abstulit cum levamine doloris quod ab eo tempore eousque, si recte certior sim factus, perstitit, et amico meo de hac re interroganti dixit, partem submotam nihil praeter naturam oculis praestitisse, ideoque tunicam ejus ne minime quidem inflammatam fuisse.

Porrò, celeberrimus ASTLEY COOPER in suis de chirurgia praelectionibus duorum exemplorum meminisse solet, in quibus per quendam alium morbum, a miseriis morte

ereptis, corporibusque incisis, utriusque lateris nervos alios cum aliis comparare potuit. Sed in his, quoque nulla fuerunt morbi organici vestigia, neque ullum discrimen inter nervos diversorum laterum, nisi, nervus sani lateris quam minime in diametro ejus major esset nervo eodem lateris affecti, quod fortasse a natura nutritionis diversitate penderet. His addi potest testimonium illustrissimi Dessault atque etiam discipuli sui Bichat, nullam se vidisse mutationem in aspectu vel structurâ nervorum qui hoc dolore tentati fuerant.

His praemissis tuto deducere licet Neurilematis inflammationem vix aut ne vix quidem Neuralgiae causam existimari debere. Profectò si haec perpetua vel frequentissima esset causa magis sub artis nostrae imperio statim jaceret, quotidianis remediis cessura quae inflammationem localem ubique solent superare. Porro, supradicta de nervorum conditione, corpore inciso, observata pariter significant (quod

etiam quaeritur) morbum non esse organicum. Igitur perpendere jam restat an hoc malum parti, qua se ostendit, circumscribitur, an magis indicium quasi externum corporis totius malè se habentis respici debet. FOTHERGILLIUS atque ABERNETHIUS putant hunc morbum e corporis universi statu oriri, sed cujusmodi adversam indicat valetudinem minimè inter se conveniunt. Ille quidem ait Neuralgiam naturae *cancerosae* esse participem. Et hoc sibi festinanter quidem et temerè persuasisse videtur, quod duas, provectâ aetate, foeminas Neuralgiâ faciei sitâ laborantes viderat quibus mammis in singulis fuit simul tumor schirrhosus. Hae dicebant dolorem nervos faciei et dolorem mammas occupantem maximam habuisse inter se similitudinem, exindèque protinus deduxit FOTHERGILLIUS utrumque ex eâdem causâ oriri; scilicet "fluidorum corporis "acrimoniâ cancrosâ." Procul dubiò, haec duo exempla insignia sunt, et concursus utriusque morbi et similitudo dolorum, res notatu dignissimae. Verùm enim vero non

ideo concludere fas est id perpetuum, quod solummodo fortuitum fuisse videatur. Nam equidem nullis in aliis casibus suspicionem remotissimam cancri invenio nec quid intelligendum sit, cancrosa fluidorum acrimonia multum patet nam in ipso cancro, nusquam quoad ego novi probatum est aliquam peculiarem sanguinis vel secretionum acrimoniam adesse. Ergo haec sententia rationibus nititur infirmissimis. ABERNETHIUS, amore rei generalis captus, cunctos morbos olim pro localibus tantum habitos, causis universis pendere statuit, quarum imprimis et fere unica est nescio qualis organorum quae concoctioni inserviunt perturbatio. Dolendum est, quod, nimio *systematis* prosequendi ardore, intellectum suum virilem et sagacem decipi sivit, ut omnibus aliis tam multiplicibus diversisque morborum, causis dimissis, hanc unam agnoscat, morbos unquam esse locales simul recusans. Quod caetera, neuralgiam eidem perturbationi ascribit ille; perperam ut ego equidem existimo. Nam tametsi haud prorsus incredibile sit, imo

quod revera evenit, irritationem nervorum ventriculum et intestina adeuntium, in locis remotis dolores sympatheticos inducere, tamen Neuralgiae initium neque semper praegreditur ulla perturbatio nec in accessionibus morbi provecti gravissimis viscera concoctioni inservientia plerumque patiuntur. Praeter haec, hujus morbi cruciatus et severiores et valde dissimiles sunt iis doloribus quorum, partium consensus, est fons et origo. His addere oportet, ea medicamenta quae imprimis adversus hujusmodi irritationem, Neuralgiam parum adjuvare.

Quae demum est natura, quae sedes Neuralgiae? Neque naturam, neque causas neque sedem veram hactenus sanè novimus. Dolor crudelis, aegre tolerandus, exoriens sine ulla re irritante extrinsecus vel intrinsecus quae nostris sensibus patet, hujus morbi signum primum est et praecipuum et si nosologici classem doloribus seorsim assignavissent, ut jamdudum THOURETIUS et

Young monuerunt, et ut Sagarus quidem fecit, in ea primum locum nosologia jure sibi vindicaret. Dolor quidem ipse morbus esse videtur. Sed hujus causam proferre ultra vim est nostrae scientiae. Profectó dum sensûs ratio penitus latet, necesse est causam doloris atque etiam voluptatis (quae sensûs modificationes aestimandae sunt,) in crassis tenebris abditam fore. Ubi verò causa quae dolorem concitat, sub oculis jacet, qualis est quaedam externa irritatio, ibi quidem cujusmodi sunt mutationes, quas nervus subit, et ex quibus sensus molestiae nascitur, nullo modo scire possumus; nedum autem cum quod in Neuralgia evenit, nihil extrinsecus nervum lacessit. Nervos unica esse in corpore humano organa quae sensu praedita sunt, et hoc modo unica quae dolorem patiuntur, en totum quod de hac re, post tot observata expertaque pro certo constat. Neque sane ulla, mea sententia, spes est, ut doloris et singularum ejus tam diversarum et fere sine numero specierum causae, jam occultae, unquam nobis apertae fient; sem-

per, cum sensus ratione, ingenia etiam subtilissima evasurae. Procul dubio, bono providoque consilio posuit natura inter mortalium curiositatem, et rerum omnium essentiam, velum sacrosanctum, quod, quicunque divellere vel discindere audeat, in plicaturis innumerabilibus, e quibùs texitur certissime se perdit.

Haec ea sunt quae mihi digna notatu visa sunt, antequam definitionem aggredi possem. En igitur istam quae mihi signa praecipua hujus morbi denotare videtur.

## *DEFINITIO NEURALGIAE.*

Dolor acerbissimus, lancinans, nervos praesertim faciei occupans, et quasi a puncto per vicinos nervorum ramos irradians, quorum cursum indicat ; per intervalla paroxysmis rediens, cum vellicationibus partis affectae musculosis ; sine phlogosi ; et nullâ evidente causâ ortus.

Definitione proposita, paulo amplius disseram de morbi sede atque indiciis. Evidens est ex plurimis exemplis malum saepissime ramo maxillaria superiore et inferiori quinti nervorum paris esse situm. Mirum est nervos ad sensus externos conferentes, omninò evasisse. Quamvis enim Neuralgia haud raro maxillarium inferiorem, ramumque infra orbitarium nervi superioris maxillarii atque ramos nasales pontalesque nervi opthalmici et quoque portionem duram septimi paris tentaverit, tamen neque gustus, nec olfactus, nec auditus, nec visus ullâ injuriâ, etiam in paroxysmis, affectus fuerit. In unico quidem casu nuper tractato a Nosocomii Regalis Clinico Medico, aeger erat surdus aurem ejusdem lateris quo Neuralgia sedem habuit, sed inveni surditatem ejus ab hâc non pependisse, quoniam initium doloris praegressa est. Ubi nervi maxillarii inferioris rami exigui dentes ingressi afficiuntur, quod non raró evenit, morbus pro odontalgiâ habitus est, neque error prius apparuit, quam dentes duo pluresve frustra evulsi sunt.

Nervus quoque suboccipitalis, ibi ubi propemodum cute subjacet, arteriae occipitali vicinus, eodem malo tentatus fuit, et hujus nervi affectum veluti speciem distinctam Sauvagesius in Nosologiâ suâ digessit. Interdum sed multo rariùs nervos membrorum, et in quodam exemplo dicitur ramum anteriorem cutaneum unius ex nervis intercostalibus occupavisse. Nulla ratio, ut credo, praeberi potest, cur nervi faciei ante alios Neuralgiae opportuni forent, quamvis propter acutiorem et teneriorem sentiendi facultatem iis datam, ignotae irritatione quae malum inducit, facilius forte praedisponuntur. Haec de sede.

Neuralgiae initium plerumque est incompertum. Inter primos ejus aggressus, dolor est levis et fugax, in paroxysmis, ut jam dixi, per intervalla abnormia rediens. Ea intervalla interdum brevissima sunt, dolore nonnunquam in sexagesima horae parte bis terve revertente, saepe autem per horam vel diutius requiei interstitia misero praebente

interdum quoque, id autem rarius, plures dies, totae hebdomadae, imo etiam menses inter doloris reditus labuntur. Nec desunt exempla, in quibus Neuralgia per totum annum conquievit, postea gravior et crebrior reditura. Ut morbus inveterascit, dolor fit adeo plus acer et lancinans. Dolorem simul musculorum vicinorum vellicationes involuntariae dolorificae, breves, veloces et saepe iteratae comitari incipiunt, vel potius sequi quamvis intervallum inter dolorem et has contractiunculas sit adeò breve ut vix discerni possit. Accessiones, morbo ingravescenti, levissimis causis, veluti, tactione tametsi tenera vel motu utpote parvo, concitantur. Hoc modo, locutio, manducatio, risus, (parum quidem infelicem etiam subridere videmus) paroxysmos inducunt et si poetae verbis uti licet,

"Wake the nerve whence Agony is born."

Thouretius dolorem Neuralgiae tam vivaciter depinxit ut libenter descriptionem ejus

proferam. "Cette maladie (inquit) consiste "toute entiére en douleurs plus ou moins "vives, plus ou moins dechirantes, qui, dans "leur plus grande force, arrachent des cris "aux malades et ne permittent pas de les "voir sans compassion. Ces douleurs ne se "bornent pas au foyer du mal, elles se re-"pandent en rayons dans les parties voisines "a plus ou moins distance. Ces irradiations "influent d'une maniere trés marquée sur "la violence des acces dont les malades com-"parent les plus forts au coup foudroyant "de l'experience de Leyde, tant elles sont "quelquefois vives, multipliées et subites."

Secundum varias mali sedes, lachrymae interdum oculis eliciuntur et genas inundant, vel saliva copiosius secreta, et ab actione musculorum massetorum et digastricorum expressa, abundanter ex ore profluit. Interdum mucus narium augetur. Hic quoque commemorari debet, quod jam in definitione indicavi, ut in *Neuralgicis* integumenta nervos dolentes supra jacentia, vix

aut ne vix quidem rubescant, neque calor praeter solitum crescat. Hoc perattentè animadverti in casu Johannis Hay, quem jam tetigi, et in quo nervum maxillarem inferiorem dolor saevissimus cruciavit. Pulsus neque tardior neque celerior fit, neque ullo modo evidentè perturbatur. Nulla febris, nulla quidem febricula adest; inter paroxysmos aegro plerumque se bene habente.

De causis praedisponentibus paululùm novimus. Neuralgiam provectam aetatem multo magis quam primam vel etiam adultam infestare, jamdudum affirmatum fuit, quod experientia recens plene confirmavit. Ante quadragesimum annum perpaucos, ante vicesimum vix ullos invasit. Medici autem non adhuc inter se conveniunt, utrum viri an foeminae magis ei opportuni sunt. Omnes fere Gallici de hâc re scriptores, quibus consului, putant numerum virorum foeminarum duplicem esse hoc morbo laborantium, nostri autem dicunt, experientiam sibi contrariam prorsus opinionem docuisse. Dr.

Homius in eximiis suis praelectionibus *clinicis* hanc sententiam sustinuit. Ego vidi tria exempla, sed viri fuerunt.

Quod ad causas excitantes pertinet, vix magis liquet. Nihilominus mihi exempla Neuralgiae diversa, quae nobis tradita fuerunt, sedulò intuenti constat, coelum frigidum et humidum ad hunc morbum concitandum haud parum conferre, et saepe compertum est, quòd, ex iis, qui plurimi hoc malo vexati sunt, aut fuere opifices, qui sub pleno Jove laborare solebant; aut, qui ob necessaria negotia sive libenter ob voluptatem sese tempestatis vicibus objecere.

Thouretius itidem meminit; tempus aut pluviosum, aut procellosum discessas accessiones reduxisse, quae hâc causâ redeuntes, praeter solitum acerbae visae fuerunt. Sunt qui, cum *Pujolio* dicunt Neuralgiam faciei tumores aut osseos, aut glandulosos nervum in canalibus osseis comprimentes, fortasse nonnunquam pro causâ excitante habuisse. Inepta ea est inutilisque conjectura. Quo-

niam, si hujuscemodi tumores revera post mortem inventi essent, id quod nemo asseveravit, hi quidem minime reditûs paroxysmorum varii incertique rationem redderent, et ipsa, quam fingant, compressio, potius ad sensum omnem minuendum quam ad dolorem ciendum valeret; et denique nequaquam iis remediis cederet, quae Neuralgiae opitulari solent.

Ad diagnosin jam veniendum est. Etsi nullus, ut mihi videtur, quem nosologiae systemata amplectuntur, morbus notis distinctioribus hocce potitur; fuerunt quidem, qui ab aliis non bene discreverunt. Jampridem satis constitit, quomodo SAUVAGESIUS, aliique erraverunt vellicationes Neuralgiae cum tetani contractionibus spasticis commiscendo. In quibus rebus haec inter se invicem discrepant, jam statui, nec eòdem reverti necesse est. Cum hemicranià quoque a DARWINIO confusus est. Hemicrania autem utrumque sexum, omnem aetatem, varia corporis temperamenta, pariter infestat. In hâc et

am doloris maximâ ex partè nausea comes est, aut quaedam alia ventriculi perturbatio, et ubi saepe nonnisi post bilem rejectam, recedit, sensus exulcerationis aliquandiu superest. Porrò, dolor, quanquam sese intermittat, manente paroxysmo, constanter adest; capitis supremâ parte potissimumque ossibus parietibus situs, nec musculos vellicationibus asperis torquens.

E rheumatismo acuto ex facili dignoscitur. Inflammationis signis quae rheumatismus habet, manifestis caret; caret quoque pyrexià. Quinetiam de utroque rheumatismi genere distat paroxysmorum brevitate, doloris natura, et contractiunculis musculosis. Haec eadem indicia ad Neuralgiam ab *Ischiade* distinguendam, inservire possunt, ideoque neque praeclaro *Parrio* concedere ischiadem hujus esse speciem. Ille, quidem opinatur Neuralgiam semper in neurilematis inflammatione constare, contrà quam sententiam satis superque suprà dixi. Sed fortè in ischiade, dolor qui non raro feré impa-

tibilis est, a neurilemate verè inflammato exoriri potest, propterea quod sensus dolorificus nervi cursum ischiatici tam accuratè indicat, et praeterea neurilema membrana est fibrosa, iis partibus simillima scilicet, tendinibus, fasciis, ligamentisque maximè rheumatismo tentatae sunt.

Inter odontalgiam et Neuralgiam ritè discernere in hujus sane haud initio facile est, sed haec satis citò se declarat, deinde dolores irradiantes lancinantesque et contractiunculae naturam ejus veram luculenter exponunt.

Quod ad prognosin.—Ubi in memoriam revocamus quoties hic morbus ludificatus est conamina varia quae medici frustrâ ei objicerunt nos decet cautam de exitu ejus sententiam aegro dare. Simul cavendum est ne animus plus aequo frangatur, nam spei ad morbos sanandos vel levandos maxima vis est et quoniam non remediis caremus quae huic malo magnopere valeant, nec ex-

emplis in quibus medicamentis adhibitis totum cesserit, omnibus modis spem erigere expedit se valetudinem secundam recuperaturum. Ægroti salus plerumque parum mutatur. Vitam non minitatur nisi ubi dolor atrocissimus inter manducandum excitatus, quo minus corpus satis alatur, prohibet. Hoc modo certe dyspepsia et atrophia saepe noscuntur, omnibus cum iis malis quae has comitantur; interdum etiam, per anxietatem mentis et intolerabilem corporis angorem, desperatio, melancholia et demum ipsa mania superveniunt. Inter sequelas hujus morbi a quibusdam scriptoribus phthisis pulmonalis recensita est; an ratione haud pro certo novimus.

Postremo, de curatione me tandem summatim locuturum, oportet, antequàm remedia tam intrinsecùs adhibenda quam extrinsecùs admovenda proferre pergam, pauca dicere de nervi sectione. Chirurgi autem est, quomodo nervus quisque optimè inveniatur et secetur, praecepta referre, quàpropter haec

in hoc loco praetermittere visum. Medici tamen admodum interest certioris fieri, quem exitum a manu curatione plerumque expectare licet. Itaque mihi de hac re diligenter perscrutanti hoc probatissimum videtur—exitum etiam quo nervi portio excisa fuit, saepenumero infelicem fuisse, doloribus brevi regressis, adeo ut anceps remedium semper habendum est; contra, numerum eorum quibus haec manu curatio profuit, imo quos sanavit satis multum esse ut medico prudenti haud aspernanda; nihilominus metuenam est, ne quidam vel ineptè vel improbè scalpello usi sint, scilicet, aut pravo desiderio ostentandi quam peritè exquisitèque vivum, quasi omni sensu caruerit, incidere possunt; aut precationibus nimium faciles aegri forsitan tenerioris, medicamentis aequê ac dolore citiùs fessi. Porro, de quibusdam casibus qui scalpello sanari dicuntur fortè dubium est, utrum morbus sponte suâ recesserit, an quod non incredibile videtur, inflammatio, vulnus secuta, humores a parte

eliciendo, vel diversi generis irritationem excitando, morbum superaverit. Multa, ut dixi, exempla memorata fuerunt quibus nervi sectio opem diuturnam praebuisse videtur, sed in plurimis auxilium fugax, et morbus brevi regreditur, nec hanc rem mirari possumus, propterea quod si nervus tantum dividatur, partes nervi divisae, arcto in contactu adhuc jacentes, iterum protinus inter se conjungunt. Quinetiam, si portio nervi excidatur et penitus submoveatur, non multum spei est, aegro diu sanitatem permansuram, quia portio excisa, non longâ interveniente morâ, ipsa renovatur et renovata dolet. Simul operae pretium est, ut observetur, morbum nonnullis in exemplis prius rediisse videri, quàm novum secretum fuisse nervum verisimile est. In his casibus morbus alios ramos, eundem fere cursum habentes, fortè occupat; vel tota pars morbida non dimota est, quo non facto, reliquum frustrà fit. Enimverò manu curationi jurè objiciatur, accuratè sciri non posse, quae vel quanta nervi cujuslibet pars vere morbo ten-

tatur. Interdum quoque evenit, ut rete nervosum, veluti pes anserinus, hoc malum corripiat, quod nullo modo potest submoveri, et, in quo levando, ex unius rami excisione ne minimum quidem commodum nobis polliceri licet. Praeter haec, nonnunquam accidit, ut neuralgia nervum in osseo canali situm vexet, sicut nervum inferiorem maxillarem ubi per canalem mentalem transit, atque etiam ramum infraorbitarium maxillaris superioris, ubi canalem infraorbitarium percurrit. Evidens est, scalpellum in hujusmodi casibus adhiberi non posse. Denique ad nervi sectionem vel excisionem nunquam confugiendum est, nisi medicamenta probatissima irrita fuerint.

Suprà vidimus, quàm multa diversaque nomina medici ei dederunt et quam multae contrariaeque opiniones de natura ejus pròtulerunt. Itaque haud mirum est rationem ejus medendi optimam in dubio fore. Materiae medicae copia et saepenumerò frustrà exhausta fuit. Venae sectio, purgantia epis-

pastica, electricitas, tonica, atque narcotica aliâs alia usurpata fuerunt. De his singulis breviter dicam.

Missio sanguinis non multum adjuvare promittit quoniam, nostrâ quidem sententiâ, hic morbus non inter inflammationes recenseri debet, nec ullo pacto inflammationis naturae participem esse. Ubi *plethora* adest, si non prosit, neque forte nocebit; ubi abest, plerumque corporis quidem vires, non morbi minuit. Si autem habitus sanguine admodum plenus est, post venam incisam, narcotica aliquando effectus suos facilius exercent. Jamdudùm dixi, ex Abernethii opinione, hunc morbum e quâdam morbida perturbatione viscerum concoctioni cibi inservientium oriri; et quamvis huic sententiae assentiri nequeo, status tamen horum viscerum in hoc aequè ac in omnibus aliis cujusmodi morbis, attentionem medici non levem poscit. Equidem nuper rescivi historiam casûs, qui in hâc urbe evenit, et in quo Neuralgia ab hydrargyri submuriate et tenero victu sublatâ erat. Etsi Neuralgiae natura minime sit comperta, tamen ab omni

quod de ea novimus, fas est deducere, id, quod experientia planè docuit, ea medicamenta quae *narcotica* vocantur, plurimum huic morbo profitura. Ad haec, idcircò nobis ante omnia confugiendum est. Hujus generis remediorum praecipua sunt, opium, conium maculatum, atropa belladona, hyoscyamus, stramonium et forsitan acidum Prussicum. Quod ad opium; ad levandum acerbos ejus dolores insignem vim habet, et haud raró non tantum ad leniendum sed attollendum morbum pollet. Verum, saepe necesse est, tantas *doses* hujus medicamenti praecipere, ut alvum astrictam, nauseam, vertiginem inducat. Neque hos effectus ex facili impedire possumus. Hanc ob rem, multi sunt quibus quaedam ex remediis insequentibus pluris aestimantur. Conium maculatum, medicamentum est quod FOTHERGILLIUS strenuè laudavit; se teste, in omnibus confertim cruciatus sedavit, et nonnullos prorsus sanavit. Nuper in casu supra dicto JOHANNIS HAY, (cui Hyoscyamus quoque succurrere non po-

tuit) a Doctore Homio tentatus est, sed infeliciore eventu; quamvis enim usque ad vertiginem, supra oculos dolorem, nauseam, &c. in usu ejus perstiterit, nullum solatium praebuit. Atropa belladonna interdum quoque cum maximo beneficio sumpta est. Auctor est Kerrison hanc Neuralgiam sustulisse, ubi nervi sectio et opii administratio miserum fefellerant. Dosis hujus pariter ac omnium narcoticorum, in initio, parva, paulatim augenda est èt cum effectus modò memorati, se ostendisse coeperunt, statim intermittenda, nam, ut in hydrargyri usu observamus, vires ejus aliquandiu post intermissionem supersunt, imo ingravescere videntur. Hyoscyamus multum a quibusdam nec injuriâ laudatus est. Inter alia exempla proximo anno, aeger in nosocomio regali *Clinico* hoc remedio faustè curabatur. *Marcetus* eximius medicus plusquam unum exemplum memoravit in quo *stramonium* plurimum huic morbo opitulari videbatur. *Acidum Prussicum,* quoad ego equidem novi, hac,

tenùs inexpertum fuit; sed haud inverisimile est, cum narcotico remediorum generi quodammodò pertineat, huic quoque prodesset: ut cunque hoc sit, periculum certe meretur. Hydrargyrum, usurpatum usquedum salivationem leniter cieret, dolorem ceteraque indicia mitigavisse dicitur. His adjici potest arsenicum; nam, in unico casu quo morbus inveteraverat, huic remedio, cito cedebat. Antispasmodica Neuralgiae praesidium nullum praebent. Quod attinet ad remedia extrinsecus admovenda, epispastica parum adjuvant. In unico exemplo, quod ego memini vidisse, solutio arsenici aethere mista, parti affectae saepe admota, dolores admodum lenivit. Unguento quoque ex cerussae acetate et adipe suillae facto, cute e regione nervi dolentis, bene et frequenter perfricatâ, post nervum sine ullo beneficio sectum, aeger bene se habuit. Opium extrinsecus admotum ad morbum succurrendum multum pollicetur. Denique, quibusdam compressio nervi dolentis

fasciis, ubique fieri possit, dicitur ad dolorem levandum haud parum conferre.

Coactus sum, hac mera remediorum enumeratione contentus esse, ne aliquid de eorum modis operandi dicam tum rei difficultate perterritus, cum interrogatione, istâ HEBERDENII, maximi viri, monitus. "E-
" quis (ait) autem tam consultus fuerit le-
" gum, quibus corpus humanum adminis-
" tratur, ut medicamentorum aliquorum fa-
" cultates explicare audeat ?"

FINIS.

## ERRATA.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Pag. 5. | lin. 17. | *lege* | alii. |
| —— 6. | — 4. | —— | quodam. |
| —— ib. | — 17. | —— | fuit. |
| —— 18. | — 13. | *post* | irritationem *insere* valent. |
| —— 21. | — 4. | *lege* | maxillario,—inferiore. |
| —— ib. | — 10. | —— | frontalesque. |
| —— 22. | — 2. | —— | cuti. |
| —— — | — 13. | —— | irritationi. |
| —— 23. | — 14. | —— | ingravescente. |
| —— 29. | — 5. | —— | ligamentis, quae. |
| —— 30. | — 9. | —— | nascuntur. |
| —— 31. | — 12. | —— | metuendum. |
| —— 38. | — 7. | —— | Ecquis.  |